

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7722

Auteur(s) : Pierre de Bordeaux, Vendôme (archidiacre)

Bénéficiaire(s) : Feings, Le Valdieu-Réno (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1247

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

En vertu d'une sentence rendue dans un procès entre les deux communautés, l'abbaye de la Trappe doit céder à la Chartreuse du Val-Dieu tous ses droits sur la métairie de Mafoi, sur douze sous de rente annuelle provenant de Maître Laurent Eneis et sur la maison de Guillaume, feu curé de Saint-Mard-de-Réno ; ladite Chartreuse, en retour, lui paiera une rente annuelle de neuf livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, B. « De Eodem (= de redditibus denariorum in Corboneto et Francia) », n° XXX (« Compositio facta inter nos et fratres Vallis Dei »), p. 74-75.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis magister Petrus Burdegalensis, archidiaconus Vindocinensis, judex a domino Papa delegatus, et magistri Theobaldus officialis majoris archidiaconi Carnotensis et Fabianus officialis decani Carnotensis, subdelegati a viris venerabilibus abbatte Sancti Vincencii de Nemore et majore archidiacono carnottense, conjudicibus dicti archidiaconi Vindocinensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum contentio verteretur inter viros religiosos, abbatem et conventum Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, coram nobis auctoritate apostolica, ex una parte, et priorem et conventum Vallis Dei, cartusiensis ordinis, ex altera, de eo quod predicti prior et conventus ratione quorumdam privilegiorum, sibi a domino papa indultorum, petebant in jure coram nobis quod dicti abbas et conventus compellerentur ad vendendum omnia que acquisierant infra dimidiam leugam a terminis possessionum predictorum prioris et conventus, secundum rescripti tenorem ad nos directi, tandem, habito bonorum virorum consilio, dictam contentionem pacificavimus in hunc modum, quod predicti prior et conventus habebunt quicquid juris et dominii habebant dicti abbas et conventus in medietaria de Maphetis et duodecim solidis redditus datis eis a magistro Laur[entio] Erneis et in domo defuncti Guillelmi, quondam rectoris ecclesie Sancti Medardi de Renou, cum pertinenciis suis, pro novem libris turonensium annui et perpetui redditus, quos dicti prior et conventus predictis abbati et conventui tenentur reddere annuatim in terminis subnotatis, videlicet, ad festum sancti Remigii, quatuor libras turonensium, et, ad Natale Domini, centum solidos turonensium, donec dictas novem libras dictis abbati et conventui predicti prior et conventus alibi assignaverint eque competenter. Et sciendum, quod predicti abbas et conventus infra terminos modernos Vallis Dei non poterunt aliquid de cetero acquirere. Si quid tamen eis datum vel elemosinatum fuerit infra dictos terminos, predicti abbas et conventus, tenentur significare dictis priori et conventui, qui illud datum vel elemosinatum, quotiens voluerint vel potuerint, habere poterunt, dato dictis abbati et conventui equivalenti excambio vel in pecunia vel in justo precio.

Si vero habere noluerint infra dictum biennium, dicti abbas [et conventus] illud datum vel elemosinatum libere possidebunt, non obstantibus privilegiis supradictis. Poterunt etiam infra dimidiam leugam que ultra predictos terminos cunctis religiosis ab acquirendo prohibetur, acquirere et omnia que modo habent infra predictos terminos pacifice possidebunt, exceptis medietaria et duodecim solidis superius nominatis, non obstantibus privilegiis supradictis. Nos vero presentem oppositionem laudavimus, etc. Actum anno Domini M° CC° XL° septimo.